

*Disjuncta* versatur inter quatuor terminos reipsâ inter se distinctos; quorum ut primus se habet ad secundum: ita tertius ad quartum. v. g. Sicut gubernator se habet ad navem: ita magistratus ad Rempublicam. *Continua* est, quæ versatur inter tres terminos aptè inter se distinctos & affectos, ita ut sicut primus se habet ad secundum; ita secundus ad tertium: ut, sicut lex magistratui: ita magistratus populo præest. Tres hîc sunt termini, lex, magistratus, populus.

3 *Similium sunt similia consequentia.*

Hic canon est probabilis, & agit de usu similibus, quem habent in probando. Afferunt autem illa magis dissentienti pudorem, quàm assentiendi necessitatem. Aliis locis credimus necessariò, similibus libentes, ait Molinæus. Datâ, verbi gratiâ, quæstione, an intellectus regat totam animam, sume aliquid, quod sit simile subjecto quæstionis, putà oculum. Hinc argumentaris. Oculus regit totum corpus. At intellectus est oculus animæ. Ergò. Sic: Princeps debet subditos suos defendere. Q. Paterfamiliâs familiam suam defendere debet. Item: Ratio non est submovenda à linguâ. Q. Naucerus peritus non est submovendus à navi. Hæc notanda sunt contra illos, qui simpliciter asserunt, similia non habere ullam vim probandi, sed tantum explicandi & amplificandi. Verum est, argumenta ex loco similibus ducta non esse necessaria & scientifica. Sed à negatione modi ad negationem rei non valet consequentia. Itaque illud vulgatum: *Simile non probat, sed illustrat*; non simpliciter, sed secundum quid accipi debet.

4 *Similitudo non debet extendi extra scopum disserentis.*

Hic canon in analysi magnum habet usum, & monet, ut in primis scopus similitudinis perpendatur: quod in primis in lectione sacrarum literarum observandum est, ubi habet locum illud Thomæ: *Theologia allegorica non est argumentiva*, si scilicet scopus non observetur.

5 *Similitudo est instrumentum Logicum maximè accommodatum ad genus docendi exotericum & populare.*

Ratio: quia similitudo continet res maximè obvias sensibus. Un-